

C. 151.

46

RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS
AD
MEMORIAM
EMENDATORVM
PER LVTHERVM
SACRORVM
IN AEDE PAVLLINA
PRID. KAL. NOV.
CELEBRANDAM
INVITAT.

45

РЕГТОР

ACADEMIE LIPSIENSIS

AD

ИАИЯОИДИ

МУЯОТАДИИМ

ПУЛЯНДИИМ

СВЕРОЯИ

АИДИЧАСИИАИ

НОВЫЕ СИДИ

ОЛДИЧАСИИ

ТАТИИ



L N D.



Cum ad grati animi pietatem nihil magis
aut necessarium aut efficax sit, quam be-
neficiorum acceptorum ita meminisse, ut eorum et ve-
ritas, et magnitudo diligenter ponderetur: nihil profe-
cto a nobis memoriam beneficiorum a Deo nobis, com-
muniue Patriae et Ecclesiae vniuersae, per Lutheri mi-
nisterium tributorum solenni religione celebraturis,
magis ac diligentius faciendum est, quam ut eorum
et multitudinem et magnitudinem cogitemus; quae
res etiam hanc vim potest habere, ut de iis conser-
uandis ac tuendis, quantum in nobis est, labore-
mus, nec ea finamus vel nostra negligentia nobis

A 2

perire,

IV

perire, vel aliena fraude iis nos priuari. Sed in illis bonis merito numeratur et hoc, quod et religio, et vita communis a seruitute superstitionis liberari coepit per Lutherum superstitione foeda et perniciosa, qua ante illum vtraque premebatur. In generibus autem superstitionis illius etiam hoc in primis grassabatur olim, quod daemonum operibus, spectris, in his mortuorum, in aspectum venientium et loquentium, terriculamentis apud male credulos homines vteretur; de quo Lutherum ipse saepe questum esse reperimus, in libello de Missis et alibi. Nam his quam multae falsae, etiam de rebus sacris, opiniones inductae sint, satis constat et historia loquitur. Et cum omne genus superstitionis fallax sit apud homines imbecilli iudicii, tum multo maxime hoc est, quod rebus mirabilibus vtitur, quibus facilime capiuntur animi, praesertim, si accedant artifex iis solemnia, qui talibus fraudibus vtuntur, simulatio sanctitatis et religionis exquisitae species, per verba religiosa, cum semper in ore est

Deus

Deus et Dominus Iesus Christus. Enim uero ut ab aliis generibus sic etiam ab hoc liberatam esse Ecclesiam nostram, tum omnino Germaniam per Lutherum et res testatur atque etiam fassi sunt eius aduersarii. Delrio quidem, alienus ille ab eius disciplina, et infestissimus nomini eius, agnouit hunc disciplinae Lutheri fructum, cum in *Disquis. Magicis*, ait: *ante annos centum, quo tempore Lutheri haeresis nata est, Germania Daemonum manifesta et cerebra infestatione plenissima fuit;* et ille omnino saepe Germaniae superstitionem exprobrat. Nam quae causa est, quare post Lutherum Germania minus obnoxia fuerit huic tanto malo, nisi, quod per Lutherum et eius discipulos illa supersticio imminuta, et ex plerisque regionibus prope tota expulsa est. Atque id Lutherus ita egerat, ut nihil potestati Diaboli detraheret, quod solent superstiosi homines exprobrare iis, qui ab illo genere superstitionis sunt alieni; immo etiam ab aduersariis haud paulo plus iusto ei tribuere putabantur: quo nomine eum valde accusat idem ille Delrio

VI

in Disq. m. L. III. P. I. qu. 3. sect. 2, p. 426. Nempe omnia ille tribuebat verbo diuino recte cognito et ei obediendi studio atque animo; eo omnis supersticio excluditur. Sed adiuuabatur etiam ab sociis operis sui, Philippo et aliis, tum a doctoribus ceteris bonarum litterarum, qui cum in libris graecis et latinis enarrandis in aliquod genus superstitionis paganicae, in oracula, *venutav* etc. incidissent, stultitiam vanitatem, et fraudes earum rerum demonstrabant, et ad risum conuertebant; denique ab philosophis, qui rerum naturam planius explicare cooperant. Accessit etiam Principum prudentia, qui legum seueritate homines vel deterrebant ab malis superstitionis artibus, vel coercebant eos, qui iis vti auderent: quibus rebus etiam reliquiae veteris superstitionis paullatim, praesertim hoc nostro Seculo, cognitis etiam saepe fraudibus improborum, sunt prope prorsus sublatae. Atque ea patriae nostrae gloria communicata est etiam cum aliis populis, qui in communionem emendatae per Lutherum Ecclesiae venissent: in quibus etiam

passim

passim extiterunt, qui superstitiones opiniones vulgi impugnarent. Sed cum tamen aliquid reliquiarum remansisset: neque enim imbecillitas humana finit se prorsus ab vitiis suis liberari, eae non otiosae latuere, sed saepe per occasiones oblatas, exferere se coepere. Atque profecto dolendum est, hac nostra aetate, quae superioribus etiam temporibus magis sapere creditur, eoque nomine gloriatur, et proximo tempore id saepius accidisse. In Batavis *Swedenborgii* fabulae coelestes, et iactata cum mortuis commercia et colloquia permultis, ut audiuimus et cognouimus, probatae sunt. Lohmanniae Daemon a quam multis agnitus est, Dessauiæ tandem a medico pulueris rhabarbarini quasi tormento expugnatus et eiectus. Quid cum magno dolore prudentium Hannouerae nuper factum sit, constat. Nec illi recentissimo apud nos impostori, dignum suo furore exitum naucto, qui animas mortuorum et de coelo deducere, et ex orco euocare se et in conspectum volentium, adducere iactabat, desuere, qui eius praestigiis, et malis artibus

VIII

bus se decipi paterentur, et ei temere crederent. Quibus rebus profecto magna labes adspersa est aetatio nostraræ, posteris etiam miraturis, tantam fraudem in eam cadere potuisse. Quo magis hoc et magistris et Ecclesiarum Scholarumque doctoribus est agendum, vt a talibus fraudibus populo caueatur in posterum, et superstitioni tam foedae vel aditus omnis praeculatur, vel si extiterint eius auctores, si quam celerrime amoueantur. Ita se dignos Lutheri disciplina probabunt, et beneficium a Deo per eam patriæ nostræ traditum conseruabunt. Sed nobis cum doctrinae publicae magistris res esse debet: itaque eorum de officio in hac re planius praecipiendum videtur.

Ac primum, quia facile prauis huiusmodi opinionibus capiuntur teneri animi, quae cum semel acceptæ sunt, ita alte insident, vt non modo faciles ad credendum fiant, sed etiam appetant tales nugas, iisque delestantur; in primis tum a parentibus caueri debet, ne narrationibus talium rerum aures

and

puero-

IX

puerorum imbuantur, tum a magistris mature mo-
nendi sunt, per occasiones datas, ne iis temere cre-
dant, sed certe eas semper suspectas habeant, et in
iis a fraudibus sibi diligenter cauendum putent. Ma-
gistrum scholae doctissimum, postea eximum Eccle-
siae doctorem, vidimus, qui monere soleret discipu-
los, vt orarent Deum, ne fineret sibi spectra offerri.
Etenim, aiebat, qui spectra vident, aut corporis aut
mentis graui vitio laborant: quod si tamen acciderit,
vt, quanquam sani mente et corpore, spectrum videre
videamini, memores praecepti Iesu, *Luc. 24.* festina-
te id contrectare manibus, vt videatis, an carnem et
osca habeat, ne decipiāmini et noxam accipiatis. Be-
ne profecto et sapienter. Doctores autem populi di-
ligenter curare debent, primum, vt aduersus tum
omnia superstitionis genera, tum et hoc muniant eius
animos; deinde, si qua talium rerum, fama extiterit,
ne inuidiae et odii metu taceant, sed eam suspectam
faciant, ne ei temere credatur, sed exitus rei expe-
ctetur, qui vt plerumque fraudem patefecerit, ita et in

B

ca

X

ea re sit patefacturus. Neque enim vlla fraus tam
sollers est et callida, vt veritatem plane opprimere
possit, nec relinquat quasdam eius veluti ansas, per
quas deprehendi et in lucem protrahi possit. Atque
etiam saepe emergit sua sponte, et si interdum tardius,
et cautos homines in posterum facit, si modo possint
sapere: nam nonnulli ita tales opiniones adamauere,
vt ne exemplis quidem luculentis ab iis se abstrahi si-
nant, sed, quanquam saepe decepti, tamen semper
se credulos fabulis talibus praebent. In quo illos ma-
gistratum diligentia et prudentia poterit, vt debet,
adiuuare, fraude celeriter et solerter indaganda, et
fabularum auctoribus amouendis, ne latius spargere
nugas suas, et in fraudem multos possint inducere.

Ad hanc talem disciplinam praeparabitur a Do-
ctoribus Academiarum iuuentus, quae se Ecclesiae de-
stinauit, si eam de rebus iis, quae ad spirituum vtri-
usque generis naturam, conditionem et actiones per-
tinent, ita decebunt sentire, vt libris sacris eorum
que auctoritate acquiescant, nec ingeniorum huma-

norum


norum inuenta vel somnia iis admisceant et pro necessariis religionis partibus commendent, per quas deinde omnes illae superstitiones fabulae explicari ac defendi possint: in quam partem saepe procliuiores fuisse etiam bonos alios et doctos viros reperimus, atque ita superstitionis plebeiae patrocinium suscepisse, cum magno saepe detimento religionis verae ac purae. A qua labe puram Deus seruet doctrinam publicam scholarum nostrarum, atque ita etiam illud, quod commemorauimus, datum olim patriae et Ecclesiae per Lutheri operam bonum cum ceteris omnibus eiusdem ministerio paratis. Pro qua re nobis etiam inter gratiarum actiones supplicandum est Deo, idque cum communiter faciemus cum vniuerso populo Lipsiensi, proximo die Lunae, tum proprie in aede Paullina ab hora XII. inter quae sacra etiam verba faciet IO. AVGUSTVS WOLFIUS, Philosophiae et artium Magister, vir doctissimus, recitanda oratione diserta et elegante *de persecutis Lutheri vestigiis in emendatione sacrorum conseruanda.* Ad ea igitur so-

XII

Iemnia celebranda vt me deducatis et iis religiose ad-
fitis, COMITES ILLYSTRISSIMI, PROCERES
ACADEMIAE OMNIVM ORDINVM AMPLISSI-
MI, VOSQUE GENEROSISSIMI HUMANISSIMI-
que COMMILITONES, etiam atque etiam rogo. P.P.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



Scritto di domenica 27. di ottobre
anno 1621. da Ambrolio Maturi

ME

FC 1285

Vol 18

ULB Halle
004 966 066

3



Sb.

nr.



B.I.G.



46

RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS
AD
MEMORIAM
EMENDATORVM
PER LVATHERVM
SACRORVM
IN AEDE PAVLLINA
PRID. KAL. NOV.
CELEBRANDAM
INVITAT.

45